

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1217 - 1218

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

rediret, liberam haberet potestatem, ipsum allodium suum donandi, distrahendi et pro velle et beneplacito suo disponendi. nos vero de libero arbitrio et gratuita voluntate nostra fide data promissimus et obligavimus, sibi dare vel ordinatis suis annuatim 40 quartalia frumenti, quod dicitur mánzalkorn, quam diu sibi ipsum frumentum recipere placuerit. insuper quoque promissimus sub vinculo fidei, quod nunquam ipsum in reditu suo de supradicta donatione quocunque interveniente casu molestabimus, sed permittemus ipsum quiete dictum allodium suum possidere et pro arbitrio suo ordinare. huic facto interfuerunt Heinricus deccanus, Dietherus cellerarius, Hugo portarius, Heinricus vicedominus et alii confratres et concanonici. affuit quoque Fridericus Dispensator, Erbo iudex, Hartmannus de Ekeboldisheim, Diethericus de Ephiche et alii quam plures. acta sunt hec anno dominice incarnationis 1217, indictionis 5. fratres autem et totus conventus die anniversarii sui convenient et cantatis vigiliis et missis celebratis cum psalmodiis, prout ordo exequiarum et disciplina exigunt regularis, de usufructibus ipsius allodii cum toto clero presente in refectorio publice et karitative reficientur.

*S aus Straßb. St. A. lad. Chartreuse-Oberhausbergen or. mb. c. sig. pend. laeso.*

168. *Pabst Honorius III bestätigt dem St. Thomascapitel zu Straßburg seinen ganzen Besitz, namentlich die St. Aurelienkirche daselbst. 1218 Juni 1 Rom im St. Peter.*

Honorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . decano et capitulo sancti Thome Argentinensis salutem et apostolicam benedictionem. sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. eapropter, dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas et ecclesiam vestram, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis prestante domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. specialiter autem ecclesiam sancte Aurelie cum pertinentiis suis, quam ex concessione venerabilis fratris nostri . . Argentinensis episcopi, capituli sui accedente assensu, estis canonicè assecuti, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Rome apud sanctum Petrum kalendis junii pontificatus nostri anno secundo.

*T aus Straßb. Thom. A. lad. VI s. Aurelie or. mb. c. bulla pend.*

*Gedruckt darnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 298 nr. 14 (a. 1217). — Potthast Reg. pontif. nr. 5828.*